

## NULLA FRAUS TUTA LATEBRIS.



*Sit licet obstruso Coluber conclusus in antro,  
Cervus anhelanti detrahit ore neci.  
Judicis en munus : nullis delicta latebris  
Tuta sinat: virus detegat arte latens.*

## COMMENTARIUS.

**A**D justitia legumque vigorem, quem ex Regum cura, & solicitudine pendere, in superioribus diximus, illud quoque ducimus pertinere, ut per se, & vigilantes, alias Judices, & Quarstors, in facinorosos inquirent, populumque sum ab ea fece hominum, cuiuscumque sint sortis, expurgent, qui non solum peccatis, sed exempli nocent, nullisque favoribus, nullisq; latebris, aut subterfugiis, eorum gravia flagitia inulta prorepere sinant.

2 Nam si contra illos jubentur insurge leges, & armari debere jura, ipsa jura (a) proclamant, quemadmodum vir Sanctus est lex viva, quae vita modum, & rationem praescribit, & Sacre Scripturae precepta continet, ut graviter Augustinus (b), Gregorius (c) & Pibio Iudeus (d) advertunt. Sic etiam sceleratus, affectus debitum sue iniquitatibus suppliciis, lex item viva est, quae alias peccatorum gravitatem ostendit, monetque, ut ab illis quam longissime absistant; ut optimè insinuavit Maro (e) dum Phlegiam in mediis tormentis inducit, ita, tamquam si lex viva foret, ceteros suo exemplo monentem:

*Phlegyasque misserrimus omnes  
Admet, & magna testatur voce per umbras,  
Discite iustitiam morti, & non temere diuos.*

Quod & ipsum Cambyses apud Herodotum (f) ostendit, dum filium, ad judicandum, in sella ex patris sui pelle contexta, qui sordidè se in eodem munere habuerat, consedere præcepit, ut sic, ex hac veluti lege doceretur, quem modum in judicando tenere deberet.

3 Et licet Sostratus ab impio & Atheo Luciano (g) introductus, in quedam dialogo summa contentione à Minoe impetrare conetur, eorum quæ turpiter, & flagitosè egerit, non jure à se poenam expecti, quod eo facinora, necessitate fati, & propter antecedentes causas, non ex animo gesserit. Hic tamen error merito ab aliis (h) expluditur, & præsertim Seneca (i) eis respon-

(a) L. cum vir, C. de adult. l. congruit, de offic. Præsid. cum aliis.

(b) D. August. lib. de men. 45. tom. 4.

(c) Gregor. bomil. 10. supr. Ezech.

(d) Phil. in lib. de Abrah.

(e) Virgil. 6. Aeneid.

(f) Herod. lib. 1.

(g) Lucian. in Minoe.

(h) Costal. in pegm. pag. 164.

(i) Senec. epist. 16.

dente, qui ob hanc Fati causam, nec virtuti, nec Philosophie operam dandam arbitrabantur, quo enim contra jus & leges facta sunt, futura sanè erant, cum evenerint, sed tamen à voluntate facta sunt.

4 Unde rectè nostri nos docent Juris-Consulti (k), se ipsum voluntariè poenæ subdere, qui deligit, & quasi in poenam quodammodo contrahere, & consentire. Et quamvis Aristoteles (l) has obligationes, quæ ex delictis oriuntur: *Præter animi sententiam evenientes*, appellat, id ita accipi debet, non quod sine voluntate, vel etiam sine dolo admittantur, sed quod in contractibus voluntatem mutuam spectamus, quæ propter futuram obligationem intervenit: at nemo ideò delinquisse præsumitur, ut se obligaret, nec ea mens fuit delinquentis, sed lucri capiendi, vel damni inferendi. Ideoque res ipsa, & exitus spectatur, & obligatio ex re, id est, ex ipso maleficio procedit, ut Justinianus (m) interpretatur. Quod, qui sciens poena ei impositam perpetrat, in ipsum, & in ipsam sponit, & deliberatè consentit.

5 Nec minori ratione explodi quoque, & longè amandandi sunt illi, qui negant, Principibus, vel Judicibus, in facinorosos inquirere convenire, & ex officio, parte non petente, ad eorum punitionem procedere, futilibus quibusdam rationibus moti, quas Canonherius (n) adducit, & Turcarum exemplo, qui hunc morem servare dicuntur; necon & Medici, qui non debet nisi accessitus, morbos inquirere. Etenim, ut benè idem Autor subjungit, licet hoc in minutis delictis admitti possit, in quorum inquisitione Judices aliqui nimis importuni esse solent, & magis ad avaritiam, quam ad morum emendationem intendunt; in gravibus autem, quomodo cumque ad eorum notitiam pervenerint, sui officii ratio desiderat, ut nullum non lapidem moveant, in facinorosis investigandis, & competentibus suppliciis afficiendis, quorum excessus, atque flagitia, non solum privatis, qui ex eisdem in damno & injurya versantur, officiunt, verum & universam Rempublicam gravant, & Majestatem, atque Auctoritatem Principum, quibus subsunt, quodammodo laudent, ut signanter Paulus Juris-Consultus (o) scripsit, & Agellius (p), & alii (q), qui causas, & rationes ob quis delicta puniri debeant, & soleant, latius examinant; & optimè etiam Cassiodorus, dum ait: *Injuria quidem nostra est lessa justitia: quia violationes earum rerum merito ad nos trahimus, quas amamus. Unde illud maximè inutile esse non patimur, quod in contemptum nostræ iussionis constat admissum, &c.*

6 Et in nostri Emblematis terminis, ultra plura alia, quæ suprà (r) contra Reges, & Judices desides in administranda justitia congressi, eleganter Ulpianus Juris-Consult. (s) sic inquiens: *Congruis bono, & gravi Presidi curare, ut pacata, atque quieta provincia sit, quam regit. Quod non difficilè obtinebit, si solicite agat, ut malis hominibus provincia caret, eosque conquerat. Nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures, conquerere debet, & prout quisque deliquerit in eum animadvertere. Receptatoresque eorum coercere, sine quibus latro diutius latere non potest. Quo loci, ut illud obiter animadvertem, Eminentiss. Cardin. Baronis (t), sub verbo illo, *Sacrilegos, Ulpianum (u)*, qui fuit Christianorum acerissimus hostis, eosdem Christianos intelligere voluisse, inquit. Quos, & alibi, *Impostores* vocavit, juxta veram lecturam, & ejusdem nominis significacionem, quam Alciatus (x), Duarenus (y), & alii (z) recensent.*

7 Et ad eandem curam respiciens Paulus Juris-Consult. (a) illam Presidibus contra quoslibet in Principum mandatis injungi, his verbis ostendit: *Nam & in mandatis Principum est, ut curet is, qui provinciae præst, malis hominibus purgare provinciam, nec distinguitur unde sint. Noster quoque Rex Sapiens Alphonsus, in quodam ex suis legibus (b), hoc esse proprium Regum munus, sic dissertè demonstrat: E ataje los malos del Reino, con la espada de la justicia, è arranque los Torticeros, ebandolos de la tierra, porque no fagan daño en ella.*

8 Possemque facilè plura alia testimonia in hoc idem tendentia congerere, quorum plurima ex Marco Mantua (c), Velleio Guevara (d), Bobadilla (e), Lanceloto (f) Conrado, & Zipe (g), si velit, Lecto petere poterit. Sed pro multis addidisse sufficiet reconditum illud Tertulliani (h), qui Trajanī famigeratum rescriptum recensens, & taxans, quo ad Plinii Junioris (i) epistolam respon-

Ggg 2

dens,

(k) L. Imperatores, D. de jur. Fisci, l. 2. D. quod vi, aut clam, princip. Inst. de obligat. que ex delicti. ubi DD. & alii ap. Finel. in duabent. nisi triennale, n. 30. & Molin. de primog. lib. 41. n. 11. Ego 2. tom. lib. 2. cap. 25. n. 72.

(l) Arist. 5. Ethic.

(m) D. princ. de oblig. que ex delicti. cap. non est cuiusquam, cap. maritio 5. querit. 1.

(n) Canonh. in Aphor. Polit. tom. 1. pag. 379.

(o) L. licitatio, §. quod illicitè, D. de publ. l. si à reo, §. fin. de fiducia. leg. capitulum, §. famosus, D. de pan.

(p) Agel. lib. 6. cap. 14.

(q) Alex. 3. Gener. cap. 5. Ego, cum aliis, 2. tom. lib. 4. cap. 5. n. 6. Rhodig. lib. 11. cap. 3.

(r) Supt. emblem. 19.

(s) Ulpian. in l. congruit 13. de offic. Præsid.

(t) Baron. in Martyrolog. die 1. Januar.

(u) L. 1. vers. Non tamen, D. de var. & extrav. cognit.

(x) Alciat. 8. parer. cap. 23.

(y) Duaren. de sac. Eccles. minist. lib. 2.

(z) Cap. 14. vers. Tertius gradus, Turrian. in Const. Apot.

(a) Paul. Jur. Consult. in l. Præses 3. de offic. Præs.

(b) L. 2. tit. 10. part. 3.

(c) Mantua Sing. 603.

(d) Vellejus in d. l. de offic. Præsid.

(e) Bobad. lib. 2. cap. 3. per tot.

(f) Lancel. in Temp. Jud. lib. 1. cap. 7. n. 16.

(g) Zip. de Jud. & Magistr. lib. 3. cap. 9.

(h) Tert. in Apolog.

(i) Plin. Jun. lib. 10. in epist. Trajan. 110.

dens, edixit, in posterum inquirendo Christianos non esse, accusatos verò & oblatos puniendo esse, de quo etiam latius Paulus Orosius, & Eusebius (k) scribunt, sic ait: *O sententiam necessitate confusam. Negat inquirendo innocentes, & mandat puniendo ut nocentes: parcit, & sicut, dissimulat, & animadvertisit. Quis te ipsum censura circumvenis? Si dannas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur non & absolvis?* Latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur. In reos Majestatis, & publicos hostes, omnis homo miles est, solum Christianum inquiri non licet, offerri licet: quasi aliud actura esset inquisitio, quam oblatio? &c.

9 Ex quo satis appareat, quam sit & fuerit semper constans, & certum in quoslibet criminosis, & facinoros homines, etiam ex officio inquirendi debere, cum gravis hic Auctor, Trajanum, vel ex hac ratione merito carpat, quod Christianos, quos sceleratos putabat, & puniri jubebat, inquireti videntur. Sed audi etiam Cassiodorum (l) ita hanc in omnibus iudicibus obligationem exponentem: *Sit Judicibus vigor ex legibus. Subsellia non destinant iura malis moribus intonare, timeat latro indicium, quod semper expavit. Aduter gremium judicis intremiscat. Falsarius vocem praecognitum exborreat. Fur foras non rideat; quia tunc libertas gaudet, si talia non latentur, &c. Nullus opprimat indigentem, invadite perversores, insequimini persequentes.*

10 Eademque pervigilem, & indesinente hac in parte Regum, & aliorum Gubernatorum curam, veteres per Ciconiam ex alta turri campos speculanter, ut Pierius (m), post alios, tradidit, denotare solebant, eo quod hæc avis, alioquin pietatis, gratitudinis, justitiae, & aliarum virtutum cultrix, in lacertos, colubros, noxiaque quævis alia, & venenata animalia, ex alto oculorum aciem intendat, & proprio volatu, simul atque illa conspexerit, in ipsorum exitium exterminiumque feratur. Qua de causa, ut Plinius (n), Plutarchus (o), & alii (p) latè recensent, apud Thessalos, & alias ubique nationes, nefas Ciconias occidere visum fuit. Quam ejusmodi avium naturam, pungit Virgilii (q), dum dixit:

Cum verè rubenti  
Candida venit avis longis invisa colubris.

Ubi Servius, Cerdà, & alii ejus Expositores plura notarunt, ex eademque, ultra Pierium, pecunia symbola, sive Emblemata, in rem de qua agimus, formarunt Adrianus Junius (r), cuius jam alio loco carmina delibavi, & novissimus noster D. Didacus Saavedra (s), Egoque hoc etiam quandoque, sub his versibus comprehendebam:

Maligna viro corpora perforat  
Ita tenaci docta Ciconia,  
Horrenda ne extent impunita  
Monstra, pugnatur aeva.  
Ergo potentes excute sordidos  
Rex ipse, Regis pessima moribus  
Impura spargentes, iniquos,  
Finibus ejiciatque Regni.

11 Nunc verò, quia minus vulgare visum est, sed æqualis potentia, ad idem significandum, Regesque, ac Principes commandendos, ut alma civili justitia delinquentes coercant, & illecebri venia, & impunitatis spem à Rep. exterminent; civitatesque, ac populos, ceu Herculea clava, Lernæis nocentum monstros expurgent, hoc, quod vides Cervi symbolo, seu similitudine uitium, cuius natura talis est, ut sic de eo Plinius (t) scribat, *Est ita cum serpente pugna, vestigant cavernas, nariumque spiritu attrahunt renitentes. Idem singulare abigendis serpentibus odor adusto cervino cornu. Quam eamdem naturam, seu proprietatem, melius adhuc exposuit Elianus (u) his verbis: Mutuo in se odio omne serpentum Cervorumque genus flagrat inexplicabiliter. Serpentem Cervus longè latè inquirens, tandem in illius vestigia, longis flexionibus apparentia, jucundè pervenit, noribusque ad cavernam adnotis, ad pugnam, pugnare nolentem ipsum profert. Serpens extraita in altum tollit collum, & crepitus dentium horribilis est, & acerba sibilia anbelat: Contra Cervos, ridenti similis, è vestigio inaniter pugnantem, & Cervi collum, & crura circumplacentem, in sexanta frustra lacerat, &c.*

12 Et ad hoc respiciens, sive alludens Carolus XI. Valesius Francorum Rex XXVI. Octavio Strada (x) narrante, eodem nostro Emblemate, & lemmate utebatur, suam vigilantiam in perquisitione.

(k) Oros. & Euseb. lib. 3.

(l) Cassiod. lib. 12. epist. 5.

(m) Pier. lib. 17. pag. 126. & alii ap. Bobad. supr.

(n) Plin. lib. 10. cap. 23.

(o) Plut. in lib. de Isid. & Osirid. & alii apud Camer. 3. subces. cap. 66.

(p) Causin. in Politior. lib. 6. cap. 40. & 41. & Me in

transl. de parvic. lib. 2. pag. 111.

(q) Virg. 2. Georg.

(r) Junius emblem. 17. cuius memini supr. emblem. 64.

(s) Saaved. empr. 25.

(t) Plin. lib. 8. cap. 32.

(u) Elian. de histor. anim. lib. 6. cap. 11.

(x) Strad. in Symb. pag. mibi 411.

rendis, & puniendis sibi in visis, suævè Reipublicæ noxiis hominibus, eo significare prætentendens.

13 E quoniam in Elephanto eadem quoque proprietas invenitur, & numquam, ut phares tradidit, politem flectit, eumdem etiam, pro symbolo justi, & vigilantis Regis, ac Gubernatoris sumi sole, Petrus Matthæus (y) in suis narrationibus prodit. Pantheræ quoque similem natum, & significationem Boni Principis, Bartholomæus Anglicus (z), & Petrus Berchorius (a) attribuunt quoniam cum cetera animalia ad se ob mirabilem pulchritudinem attrahat, sola venenata, ve fugat, vel eneat. Quod in causa esse, ut nobilissima Lucensis Respublica eamdem pro insigibus habeat, novissimus Lælius Altogradus (b) latè prosequitur.

14 It quidem, licet inficiari nequeamus, nullam unquam Rempublicam fuisse, nec esse posse, quæ peccaminis, & sceleratis hominibus caret, quia ut Tacitus (c) dixit: *Vitia erunt, donec homines;* & juxta Senecæ (d) traditionem, *Hoc majores nostri questi sunt, hoc posteri nostri querentur, evverso esse mores, regnare nequitiam, in deterris res humanas, & in omne nefas ruere. Mali enim semper ad mixti bonis, vel in sanctissimis familiis fuisse leguntur, ut pluribus Sacre Scriptura exemplis Erasmus (e) observat.* In eo tamen Boni Principis, ac vigilantis Gubernatoris præcipuum munus, juge studium, & solera cura consistere debet, ut vel ob hoc ipsum, magis in exquirenis, & puniendis sonibus satagat, quod plures eos esse cognoverit, ut disertè Claudius Saturninus (f) scriptis. Atque, ut præclarè Symmachus (g) dixit: *Tantum denuò legibus severitatis adjicit quantum flagitia creverunt.* Horatianum (h) illud observans,

Non possis oculo, quantum contendere lynceus,  
Non tamē idcirco contennas lippus inungi:  
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis,  
Nodosa corpus nolis prohibere chiragra;  
Est quodam prodire temus, si non datur ultra.

15 Inde D. Paulus (i) Regem, quem Dei Ministrum esse definit, vindicem quoque in iram esse debere it, contra eos qui malè agunt. Et D. Petro (k) quoniam in Ecclesia Principem parabatur, ut alteriori Emblemati cervo, in mentis excessu, Sindon illa de celo serpentibus plena comparuit, voenique præcipientem audivit: *Surge Petre, occide, & manduca.* Et per Oseam Prophetam (l) Dominus se graviter Principes castigaturum minatur: *Qui peccata populi comedunt, & ad iniquitatem eorum, sublevant animas eorum.* Quo loci D. Hieronymus, tunc devorare inquit, cum ea non arant, & conniventia patratorum scelerum, novis occasionem concedunt.

16 Iocente quippe Cassiodoro (m): *Malum cum perseverat agetur, & remediable bonum est in peccatum accelerata correccio; quando & hoc pietatis genus est, coercere infantiam criminis, & invenescit agmenis. Qui & ipse alibi (n), non minus eleganter, hanc inquirendorum, & puniendorum graviumcriminum necessitatem, & utilitatem, his verbis expressit: Sit Judicibus vigor ex legibus. Subsellianon destinant iura malis moribus intonare. Timeat latro indicium, quod semper expavit; Adulter gremium Judicis intremiscat, Falsarius vocem praecognitum exborreat, Fur foras non rideat. Quia tunc libertas gaudet, si talia non latentur. Nullus opprimat indigentem: invadite perversores: insequimini persequentes: est vobis competens pugna civilis. Omnia peccata vos redditis, si duces scelerum complicitatis.*

17 Neque aliud sensit D. Cyprian. (o) dum dixit: *Consenserunt iura peccatis, & capit publicum esse, quid illicitum est. Arnobius (p): Crescit multitudo peccantium, cum redimenti spes datur, & facile iterum culpas, ubi est venialis ignorantiæ gratia. D. Chrysostomus (q), inquiens: Semper sceleratum in resecantur, in crescunt, & in multitudinem facinorum prosilitur, quoties secura impunitate peccatur. Gravius adhuc, pos. D. Augustinum (r), D. Gregorius a Gratiano relatus, inquiens: Si ea de quibus vehementer Deus offenditur, insequi, vel ulcisci differimus, ad irascendum utique divinitatis patientia provocamus. Et Imperatores Honorius, & Theodosius (s), qui apparitores, criminosos fugientes, subsequi jubent, & latitantes, pro qualitate peccati, sententia damnari, haec rationem reddente: Veniam enim talibus non permittimus, nec indulgentiis crimina sublevamus.*

Idem

(y) Pr. Matth. in narrat.

(z) Annic. post Phisiolog. de Genuin. rer. proprie. lib. 18. cap. 8o.

(a) Beor. in reduc. mor. lib. 10. cap. 79. num. 4o.

(b) Abgrad. in epist. dedic. ad sua Consilia.

(c) Tatt. 4. Annal.

(d) Seec. lib. 1. de benef. cap. 10.

(e) Euseb. cent. 3. epist. 41.

(f) Surn. in l. aut facta 16. §. fin. D. de pan.

(g) Sym. lib. 2. epist. 13.

(h) Strad. in Symb. pag. mibi 411.

(i) D. Paul. ad Rom. 3. 4.

(k) Act. Apost. 10. 13.

(l) Osee 4. 8.

(m) Cassiod. lib. 3. epist. 14. & lib. 5. epist. 39.

(n) Idem lib. 12. epist. 5.

(o) D. Cypr. epist. 2.

(p) Arnob. lib. 7.

(q) D. Chrysost. serm. de Absalon.

(r) D. August. & Gregor. apud Gratian. in cap. si ea, 50. 23. quæst. 4.

(s) L. si apparitores, C. de cohort.

18 Idem quoque Theodosius (*t*), dum alibi, per omnes regiones, in quibus fera, & periculi sui nescia, latronum fervet insanis, probatissimos quoque, atque districtissimos defensores mitti praecepit, qui ad sint disciplina, & quotidianis actibus praesint, eos tales esse debere addit, Qui non sinant crimina impunitate coalescere, & removeant patrocinia, quæ favorem reis, & auxilium sceleris impertiendo, maturari scelerata fecerunt.

19 Es enim tam verum, quam vulgatum illud Salviani (*u*), dum dixit: Potestas quippe maxima, & potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari; in cuius enim potestate est prohibere, si non prohibet, ea profecto jubet agi, quæ non prohibet adimpleri. Cui loco similis est ille Seneca (*x*): Qui non vetat peccare, cum possit, jubet. Et Ego (*y*) alia notata digna, quæ delicta inquiri & puniri suadent, alibi latè concessi, & post Me D. Antonius Cabrerus (*z*) in eadem re se non segniter habuit.

20 Et nunc addo D. Gregor. (*a*) qui Jeremias locum expendens, qui cum primùm in populi delictis tacuerit, quod si minimè audiri consiperit; posteà tamen cum crescentia mala cerneret, in eodem silento non permansit, & sic subdit: Inflammantur quippe corda justorum, cum non correpta conspicuā aëla malorum: eorumque culpe se participes credunt, quod in iniurias crescere silendo permitunt. Et Petrum Gregorium (*b*), æquè prudenter tradentem, quod sicut corporis singularia contempta, tendunt ad morbos, & morbi non curati ad interitum: sic contingit in Republica neglecta paulatim quedam immutatio, quæ si non curetur, & emendetur, ad corruptionem & interitum facile eam perducit.

21 Quamobrem ab omnibus laudata semper fuit sententia Demosthenis (*c*), dum dixit: Nullus est usus civitatis, que nervos, ac vires adversus sceleratos, & injurios non habet. Neque Reipublicæ, in qua venia, & amicorum preces plus valent, quam leges. Taciti (*d*), qui hanc præcipue curam obtinere debere Principem inquit, & addit, Hac amissa, funditus Rempublicam trahet. Seneca (*e*), qui uno in loco tradit, Sceancem clementiam, sive bonitatem, esse gravibus delictis ignorare, nullamque pinguiorē victimam mactari Deo posse, quam hominem sceleratum: & in alio (*f*), veluti ad nostrum cervum respiciens, severa magis quam rabida voce, & non cum ira, sed cum justitia administranda zelo, in malefactores procedendum esse, sic dicit: Et cum cervicem noxiò præcidi imperabo, & cum parricidam in suam cullo, & cum mittam in supplicium militare, & cum Tarpejo proditorum hostem publicum imponam, sine ira, eo cultu animoque ero, quo serpentes, & animalia venenata percūto, &c. Horatii (*g*), qui frustra nos de nostris malis, ærumnis, ac miseriis conqueri docet, si culpas suppliciis non cohabeamus, & malos mores legibus justis, ac sanctis imperare patimur, sic inquiens:

Virtutem incolumen odimus,  
Sublatam ex oculis querimus invidi.  
Quid tristes querimone,  
Si non supplicio culpa reciditur?  
Quid leges sine moribus  
Vane proficiunt, &c?

22 Et relicitis aliis plurimis (*h*), quæ ab aliis plurimis peti possunt D. Ambrosii (*i*) ita seri docentis: Ubi impius interficitur, Christus infilatur, ubi abominatio aboletur, sanctificatio consecratur. Etenim, ut apud Agellium (*k*) Sextus Cecilius dicebat: Acerbitas ulciscenti malefici, benè atque caute vivendo disciplina est. Et secundum doctrinam Pithagora (*l*): Qui malos non puniant, velle vindicant bonis injuriam inferre. Quod & Sallustius (*m*) benè novit, cum dixit: Ne ignoscendo malis, bonos perditum eamus. Ex D. Ambrosius: Nō nocentes absolvendo, innocentes tradamus exitio. Nec non etiam nostri Jure-Consulti (*n*), qui his de causis maximè conducere inquietunt, ne delicta manent impunita, suppliciaque in emendationem, ac terrorem hominum inducta esse.

23 Quibus consonat M. Tullius (*o*), crudelis in Patriam appellans Judices, qui facinoris hominis delicta condonantes, eos, & alios, ad similia, vel majora audendum, movere videntur. Et Seneca (*p*), inquiens: Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Et alias omissis Jus-

(*t*) L. per omnes, 3. C. de defens. civit. lib. 1. tit. 11. C. Theod. Elian. de var. hist. lib. 14. cap. 27.

(*u*) Salvian. de provid. Dei, lib. 7.

(*x*) Senec. in Hercul. furent.

(*y*) Ego in tract. de partic. lib. 1. cap. 1. & 2. & 2. tom. lib. 4. cap. 5. num. 6. & seqq.

(*z*) Cabrer. in tract. de Trigl. cap. 1.

(*a*) D. Greg. lib. 32. Moral. cap. 5. in illud Jerem. 20. 9.

(*b*) Petr. Gregor. de Repub. lib. 2. cap. 1. in princ.

(*c*) Demosth. in orat. de fals. legatione.

(*d*) Tacit. 3. Annal.

(*e*) Senec. lib. 2. de benef. cap. 14.

(*f*) Idem lib. 1. de ira, cap. 16. pag. mibi 546.

(*g*) Horat. lib. 3. carm. od. 24.

(*h*) Nevizan. in rylo. nupti. 1. lib. 1. & num. 71. Bened. in cap. Rainunt. verb. Mortuo, el. 1. Ego d. tract. de partic. cap. 1. & 2. lib. 1. Petil. lib. 7. cap. 9. Timp. insp. Prince. fol. 827.

(*i*) D. Ambr. lib. 2. de Parad.

(*k*) Agell. lib. 20. cap. 1.

(*l*) Pithag. apud Laert. in ejus vita.

(*m*) Sallust. in Catil.

(*n*) L. ita vulneratus, ad l. Aquil. l. si pæn. l. capitalia. §. famoris. D. de panis.

(*o*) Tull. in Catil. & in Pisón.

(*p*) Senec. lib. 1. de ira, cap. fin. ad fin.

Justinianus Imperator, ita Capadociae Proconsulē instruens: Atrocia crimina acerbè punito, ut paucorum bonum supplicio, omnes reliquos continuo castiges. Neque enim inhumanitas hæc, sed potius summa quedam humanitas est, cum multi paucorum animadversione salvantur. Et non in elegantius Joannes Pontifex Max. (*q*) qui compescendant esse docet malorum audaciam: Ut saltem pane formidine retrahantur à noxiis; sicutque boni, seständo virtutem meliores effecti, non cogantur cum illis perire.

24 Quod etiam in delictis, quæ levia videntur, curandum cavendumque esse, his, non minus elegantibus verbis, D. Hieron. docuit: Prodest ad cautionem etiam minima pro maximis cavere; tanto enim facilis abstinenus à quocunque delicto, quanto illud magis metuimus. Nec citò ad majora progreditur, qui etiam parvo formidat. Et sanè nescio an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Estque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod jussum sit, quam illum qui jussit: nec quantitatē Imperii, sed Imperantis cogitat dignitatem.

25 Qua omnia exemplo suo Ludovicus cognomine Sanctus, Galliarum Rex, ceteris Regibus satis indicavit, cum, ut Francie Annales (*r*) recensent, revocari jussit gratiam ejusdam criminis, quam inadvertenter concesserat, ubi Deo, pro more, preces fundens, in versiculum illum Davidi Psalmi (*s*) incidit: Beati, qui faciunt iustitiam in omni tempore. Memorabili edita sententia: Principem, qui potest punire crimen, neque punit, non minus coram Deo reum esse, quam si ipse perpetrasset. Et Maximilianus Imper. hujus nominis I. apud Camerarium (*t*), quem referunt, loca destinata ad supplicia sonium, venerabundum, hoc solemini dicto, Salve iustitia, præterire solitum.

26 Extat quoque in eamdem rem memorabile factum Friderici, etiam Imperatoris Germani, & hujus nominis I. ad cuius pedes, in ipso sua inaugurationis puncto, cum delinquens quidam, qui eum, privatum adhuc, graviter offendebat, provokeretur, & supplex admodum, ac lachrymabundus veniam expostularet, eamque adstantes omnes Prælati, & Procères concedi rogarent, adhuc tamen eam firmata mente negavit; & Guntherus (*u*) hoc factum referens, & laudans, ita de eo scribit:

Neve graci Proceres quererentur forte repulsa,  
Non odio miseri, sed stricti juris amore,  
Exemplique loco, se se fecisse, patenter  
Asseruit, faulique sui vi providus onus  
Sustulit incidiam, documentaque fortia sanxit.  
Forsitan hec alii culpent, Ego nobile factum  
Laudo viri, dignumque voco gestare potenti  
Sceptra manu, qui sic animum pietate repressa  
Continuit, cunctisque suis documenta vigoris,  
Certa dedit. Plus sepè nocet patientia Regis,  
Quam rigor. Illa nocet paucis: hæc incitat omnes,  
Dum se ferre suos putant impunè reatus.

27 Neque ab hac cura, & obligatione, quam ita propriam & præcissam in Regibus, & Gubernatoribus facimus, eosdem facilè excusare debet, quod nocentes aufugerint, vel ita se absconderint, ut faciles inventu non sint, aut in occulo delinquerint, quod aliquando efficere solet, ut à meritis suppliciis evadant, juxta illud Aurelii Prudentii (*x*),

Lex armata sedet, sed nescit crimen opertum.

Quoniam adhuc in his perquirendis, & à quibusvis latebris, vel proprio anhelitu, & sudore extrahendis, contendere debent, ut nostri Emblematis lemma, & Cervus ostendit, & Ulpianus (*y*), dum inquit: In Receptatores quoque animadversionem, sine quibus latro diutius latere non potest. Et quemadmodum Regum longæ sunt manus, ut jam alibi (*z*) dixi, ita & pedes, adeò ut vel in Adamum apud Nos transierit: Que el coche del Rei alcanza las liebres. Et Nicetas (*a*) dicere ausus fuerit: Nihil esse, quin ab Imperatoribus emendarit queat. Nec ullum peccatum, quod vires eorum supererit. Quicquid Tiberius apud Tacitum (*b*) contrarium insinuare videatur, dum dixit: Nescio an susursum fuerim, omittere potius prævalida, & adulta vitia, quam hoc assequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essentus.

28 Et cum Niceta convenit Cassiodorus (*c*), inquiens: Nihil esse, quod latere Principem so-

(*g*) In Extrav. de pæn.

(*y*) Ulpian. in d. l. congruit.

(*r*) Annal. Franc. in S. Ludov.

(*z*) Supr. Embl. 54.

(*x*) Psalm. 106.

(*a*) Nicetas.

(*t*) Camerat. medit. histor. cap. 76.

(*b*) Tacit. 3. Annal.

(*u*) Gunther. in Ligurino, sive de fast. Frider. lib. 1.

(*c*) Cassiod. lib. 5. epist. 2.

(*x*) Prudent. lib. 2. Ego 2. tom. lib. 1. cap. 14. num. 82.

licitum possit. Et iterum (d): Nam licet hæc sub profunda caligine videantur geri, nullus tamen aetus est, qui possit abscondi. Agapetus Diaconus (e), Soli Principem, hac in parte, his verbis similem & majorem faciens: Solis prefecto partes sunt, illustrare radiis orbem: Principis vero virtus est, egenorum misereri: porrò his clarior est Imperator, qui pius est. Ille namque cedit succenti nocti, hic autem rapacitati pravorum non concedit indulgere quicquam, sed lumine veritatis iniquitatis occulta coaguit. Et Guntherus (f) docens, quod si Principes tales se se in hac cura, quales convenit, praestent, nemo erit, qui se ab eorum calore abscondere possit, his carminibus:

Scilicet hanc in se Majestas Regia justi  
Vim terroris habet: procul an prope, presto, vel absens.  
Semper terribilis, semper metuenda, quoque  
Plena vigore manet, nullique impunè premenda  
Creditur, & semper cunctis, & ubique timetur.

Et si ad hoc ipsum comprobandum exempla requiras, ea, quæ supra (g) de nostris Regibus Alfonso VII. Ferdinando V. & aliis, malefactores querentibus, adducta sunt, repetere poteris, estque ad suadendam hanc Principibus curam, & bonos effectus, qui ex ea sperari possunt, manifestandos, optimum exemplum in Regno Angliae, quod, post illius Scriptores (h), novissime Barclayus (i), & Camerarius (k) latè recensent, ubi jam nulli hodie lupi reperiuntur, etsi olim multis scateret, qui ovium greges graviter infestare solebant, eò quod diligentia antiquorum, propositis præmiis, & aliquorum delictorum impunitate, illis, qui eos indagarent, & vel ex latebris, & antris remotissimis extraxissent, & interfecissent, totum tam pervicacis feræ genus extinxit.

29 Neque existimet alius, ob flagitosorum hominum punitionem, & internectionem, etiam si plures esse contingat, viris & viribus Rempublicam cariturnam; nam potius tali fece purgata, magis auget, atque florescit, ut in vite illiceo contingit, quæ superfluis, & vitiosis sarmen-tis, aut frondibus viduata, ab ipso fero, & ab ipsa vi, vitam capit, & fecundior existit, ut eleganter dixit Horatius (l), sic canens:

Duris ut illex tonsa bipennibus  
Nigræ feraci frondis in Algido.  
Per damna per cades ab ipso.  
Dicit opes animumque fero.

Et D. Bernardus, qui eodem simili in simili utens, non unam putationem, sed plures, & continuas, ad extirpanda in nobis vita, requirit, sic inquens: Credite mibi, & putata repullulant, & effigata redent, & re accenduntur extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse: sapè putandum est, inò si fieri potest, semper, quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, irvenis.

30 Exstatque apud Aelianum (m) Rhaconis cuiusdam Persa exemplum aptissimum, relatuque dignissimum, qui cum male morigeratum filium ad Artaxerxem puniendum adduceret, morte que mulctari debere contendere, Rexque excipiens, ab eo quereret, an ferre posset, ut filius in ipsis conspectu vita privaretur? Se posse respondit, & addidit: Quam in hortulo nascentium lactucarum surculos amaros defringo, & ampato, tantum abest, ut dolorem ex eo mater ipsorum lactuca patiatur, ut etiam magis efflorescat, item magnitudine, & dulcedine plus augeatur. Ad eundem modum Ego, ò Rex, cum videro eum, qui meam familiam ledit, & viuam fratrum dilapidat, vitam amittere, & a suis in ipsis injuriis prohiberi; etiam ipse amplificabor, & reliquos mei generis similiter mecum prosperam fortunam agere conspiciam. Quibus auditis, inquit Aelianus, Rhaconem ab Artaxerxe collaudatum, & in Collegium suorum Judicum cooptatum, quod diceret, eum qui tam severè, & justè, de propriis liberis audebat pronuntiare, omnino etiam in alienis criminibus incorruptum, & sincerum Judicem se præstaturum. Adolescentem autem præsen-ti colpa liberasse, gravissimam mortem interminatus, si in posterum in crimine deprehenderetur.

31 Planè si delicta valde antiqua esse proponantur, & quæ jam ferè propter reorum absentiam, vel etiam Judicium convenientiam, hominum memoriam excesserint, aut propter reorum multitudinem, durum, vel difficile esse videatur, in omnes animadvertere velle, prudentis Principis, & Gubernatoris erit, oblivionem super inducere, quam Amnestiam appellant, & dis-simulationem, magis quam intempestivam severitatem affectare, legum regulis, ac præceptis ad-

hæ-

- (d) Idem lib. 7. epist. 7.  
(e) Agap. de offic. Principis.  
(f) Gunth. in Ligur. lib. 5. pag. 107.  
(g) Supr. Embl. 61. & 62.  
(h) Barclaj. in Iconib. nation. cap. 4.

- (i) Camerat. cent. 1. cap. 28. pag. 141.  
(k) Petr. Matth. in suis narrat. 2. part. narrat. 5. pag. mibi 175.  
(l) Horat. lib. 4. od. 4.  
(m) Aelian. lib. 1. de var. hist. cap. 34.

hærens, quæ in multis criminibus post quinquennium (n); in omnibus, post vicennium, inquiri non patiuntur, adeò ut & parricidium hac prescriptione excludi Cujacius, & Gothofredus (o) existimant, quamvis Paulus Juris-Consultus: Eorum qui parricidii teneri possunt, semper accusatio-nem permitti, scriptum reliquerit, quod an sit verum? Ego latius alibi (p) disputavi.

32 Quam in rem plura suo more Tiraquellus (q), & Farinacius adducunt, inter quæ illud Livii, narrantis, qualiter M. Duillius Tribunus plebis edixerit, vetera peccata, jam oblitterata, non esse repetenda, & Domitiani, qui Tranquillo auctore, antiqua etiam Vestalium incesta à Patre Vespasiano Titioque fratre neglecta, arbitriè punienda relinquuit (r). Soletque ad hoc probandum nobile Modestini Juris-Consulti (s) resonsum citari, quo docuit: Si diutino tempore ali quis in reatu fuerit, aliquatenus pena ejus sublevanda erit. Sic etiam constitutum est, non eodem modo puniendos eos esse, qui longo tempore in reatu agunt, quo eos, qui in recenti sententiam re-cipiunt.

33 Qui tamen Textus, juxta veriorem ejus explicationem, quam post doctissimum Budæum (t) jam omnes Recentiores (u) agnoscent, non tam ad penæ temperamentum ob temporis præscriptionem spectat, quæm propter delinquentis diutinum reatum, id est Canceris custodiam, & squallorem, sordidam vestem, & alias plures miseras, & calamites, quas rei in vinculis ten-ti, interim dum judicium pendet, perpeti solent, qui status, Reatus nomine designatur, ut Messalla primus omnium apud Quintilianum ostendit (x), & Suetonius (y) de Augusto Cesare tradens, diuturnorum reorum, & ex quorum sordibus, nihil aliud, quam voluptas inimicius quæreretur, nomina abolevisse, ut si quem quis repetere vellet, par periculum penæ subiret; & expres-sius Martialis (z), sic ad Candidum scribens,

Si det inqua tibi tristem fortuna reatum  
Squalidus hærebo, pallidiorque reo, &c.

Ubi ejus Expositores alia loca notarunt, quæ simul ad illustrandum Vernulejum Juris-Consultum (a) conducere poterunt, qui de hac sordida reorum, affiniumque eorum ueste, & condicione accipi debet.

34 Canceris autem miseras, & ærumnas ita graviter, & strictè apud Theodosium Imperatorem, cognomento Magnum, Libanius (b) Sophista repræsentavit, ut eundem lachrymari coegerit; & Cassiodorus (c), qui cancerem vocat, Cellam genitum, tristitie domum, locum perpetua nocte cæcum. In qua non unum tormentum sustinet reus, qui antequam incurrit necis exitus, à superis probatur abscisus. Primum pedor ille, collega catenarum abominabili in errore dis-cruciat, auditum alieni genitus, & lamenta conturbant, gustum jejuna longa debilitant, tactum pondera prementia defatigant: lumina diutius tenebris obtusa torpescunt. Non est unum clavis exsitione, multifaria morte perimitur, qui canceris squallore torquetur. Quam etiam in rem alii (d) conge-runt alia, & Ego non ingratiæ hæc pungere volvi, ut simul Pios Principes monitos reddam, sua-rum esse partium, ut in facinorosos animadvertere, ita de vinclis, & canceratis curam habere, cum Ulpiano (e) docente, Cancer non ad puniendos, sed ad conuinendos homines haberi debeat.



(n) L. mariti, §. hoc quinquennium, de adulter. I. quere-  
la 12. C. de falsis, cum aliis apud Cujac. de divers. prescripti-  
cap. 24. & lib. 4. ob. cap. 14.

(o) L. uit. D. de parric. ubi Gothof. & Cujac. ubi sup.

(p) Ego in tral. de parric. cap. fin. per totum.

(q) Tiraq. de pen. temper. caus. 29. M. Mantua in glos.

1. part. cap. 33.

(r) Suet. in Domit. cap. 8.

(s) L. si diutino 25. D. de pen.

(t) Budæus in not. ad Pand. d. 1. si diutino.

(u) Tiraq. supr. num. 7. Corras. 2. misc. cap. 20. Corsus

1. indag. cap. 19. Edu. Caldeira 3. var. cap. 7.

(x) Quintil. lib. 8. cap. 3.

(y) Sueton. in August. cap. 32.

(z) Marital. lib. 2. epig. 24.

(a) Vernul. in l. Vestem sordidam 39. D. de injuriis.

(b) Libanius in Orat. de vinclis, noviss. d' Jacob. Gothof.

luce donata.

(c) Cassiod. lib. 11. in fin. inform. indulg. vide etiam si-

milem locum Calpur. Flac. apud Me, lib. 1. de parric. cap.

fin.

(d) Text. & DD. in l. omnes 23. C. de pen. Gomez de de-

liß. At Robet. 1. rer. jud. cap. 10. Valenz. cons. 164. n. 66.

(e) L. 8. §. solent, de pen. Cujac. lib. 34. obs. cap. 14.

bistor. for. Rom. lib. 5. cap. 14.

## EMBLEMA LXXI.

## TEMPERANDUM, PRIUS QUAM PUNIENDUM



*En Fidicen Citharam promptam modulatur ad aurem,  
Nec tamen abrumpit, vox licet una cadat.  
Sis Fidicen Princeps, nec quando dissonat ulla:  
Chorda, statim rumpas, sed modulare prius:  
Corrige defectus: lapsis concede vicissim  
Ut surgant; Regni sic citharedus eris.*

## COMMENTARIUS.

I. **E**si adeo vigiles, ac sollicitos in requirendis, & puniendis sortibus, Principes esse debere, in eo, quod praecessit Emblemate, dixerimus, non tamem ideo intendimus, eos ita in iram accendere, ut pro primis excessibus, ac delictis, qua summa in se malitiam non habeant, ad ultima supplicia prosiliant, exremis remedii utantur, ubi admonendo, corrigo, vel temperando, illos, qui à virtutis via in aliquo deflectere, visi fuerint, leviori freno, ad meliorem frugem reducere possunt.

2. Planè enim cum Reges suæ Republicæ Medicos esse, suprà (a) à Nobis, post alios, traditum sit, medicinæ præceptis obsequi debent, quæ, ut Petrus Canonberius (b) latè post Hypocratem tradit, non nisi in extremis morbis ad extrema remedia deveniunt, illudque Ovidii (c) ad unguem observant.

*Omnia prius tentanda sunt, sed immadicabile vulnus  
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.*

3. Quod post Platonem (d), & alios, eleganter Clemens (e) Alexandrinus, à me alibi (f) translatu, scripsit, inquiens, legem non nisi adversus eos, qui jam immadicabiles videntur, & ad extremam justitiam provehuntur, ad resecationem, & occasionem procedere. Et non minus eleganter Poëta quidam (g), cuius latum carmen eò tendit, ut probet, quòd quemadmodum medici, ubi salubribus herbis uti possunt, ad ferrum & unctionem non veniunt, nec pharmaci turbulentiis eorum viscera dilacerant: ita Principes & Judices, donec mitioribus remedii vitia emendare possunt. Ejus verba sunt hæc:

*Ergo truces animos gerere, immansuetaque corda,*

(a) Sup. Emblem. II. & 21.

(b) Canon. in Apþor. Polit. I. tom. pag. 584.

(c) Ovid. i. Metam.

(d) Plat. lib. 9. de legib.

(e) Clem. Alex. lib. I. Strom.

(f) Ego de parric. lib. I. cap. I. pag. 3.

(g) Poëta viñend. apud Canonib. sup. pag. 496.

Caraque subacte sœvire in viscera plebis  
Turpe ferunque putes, nec Rege, aut Principe dignum.  
Artis Apollineæ multo seu clarus ab usu,  
Diversis diversa valeant medicamina morbis,  
Nec cunctis Aloë succis admisces amarum,  
Nec semper tetra colocynthide temperat haustus,  
Ægya nec immitti ferro mox membra recedit:  
Sed donec succis herbisque salubribus ullus  
Est locus, & morbo superes spes ulla medendi:  
Non flamma, aut ferro lacerat crudeliter artus,  
Sed desperato tantum putrentia tabo  
Membra secat: ne forte gravis contagio serpat  
Longius, & sanas vitiatis partibus addat:  
Haud aliter gladium sine cede & sanguine gestat  
Maxima dos Regum est miti Clementia fronte,  
Solaque mortales Dis immortalibus æquat, &c.

4. Eamdem quoque similitudinem graviter premit Natalis Comes (b). Neque longè abest Seneca (i), dum sic signatissime docuit: Ita legum Præsidem, civitatisque Rectorum decet, quādiu potest verbis, & his mollibus ingenia curare. Transeat deinde ad tristiorē orationem, quā moneat adiuc & exprobret: novissimè ad penas, & has leves & revocabiles recessat. Corrigendus est itaque qui peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & asperè, meliorque tam sibi, quam aliis faciendus; non sine castigatione, sed sine ira. Quis enim ei, cuī medetur, trascitur.

5. Easdem quoque scansiones hac in re observari debere D. Augustinus (k) insinuat, inquiens: Paratus debet esse homo justus, & pius patienter eorum malitia sustinere, quos fieri bonos optat: ut potius numerus crescat bonorum, non ut pari malitia si quisque numero addat malorum. Et D. Chrysostomus (l), qui explicans illud D. Pauli (m): Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, ejusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu teneris. Sic sapienter subjungit: Non dixit punire, aut condemnare, sed instruere, vel instaurare, id est monitis ad salutem adducere; quia, ut Salomon (n) juxta septuaginta Interpretum versionem edocuit, Melior vir correctionum, viro jure cervices, repente enim ardente eo, non est medea. Quod, ut Nidus noster Salazarus animadverterit, perinde est, ac si dicaret, longè meliore esse ad coercendos aliorum mores virum corripiensem benignè, ac leniter, quam proprie ex ira & indignatione, pro quovis excessu ad acerbam punitionem temerè procedentem.

6. Cicero (o) etiam, prudentissimè à Majoribus observatum tradit, ne in omnes milites universi pro qualibet fuga, aut desertione animadverteretur: Quia potest quidem posteà, & miles esse melior, & vir bonus, & civis utilis; & ut Lupus (p) noster, numquam satis laudatus scripsit:

*El Can de buena lei, de buena raza,  
Si non cazare oi, mañana caza.*

Et Theodosius Rex, apud Cassiodorum (q), Præfectum urbis instruens: Sibi cordi esse (inquit) post primam culpam non statim desiderare vindictam, ad admonitionem potius jussa convertimus: ne sit nostra districcio nimia, quam lenis patientia non præcedat.

7. Et hoc forte est, quod Clemens VIII. felices recordationis Pont. Max. significare voluit, dum Sylvestro Petra Sancta (r) tradente, gladium, lituum sacrum, sive baculum Pastoralem, & lyram in medio eorum pro symbolo accepit, adjiciens lemmati loco, Nihil ille reliquit; ut significaret, se omnem tulisse punctum, cum ex Religione, ac justitia, paterna direktione, que per baculum significatur, & rigore justitiae, quam gladius designat, veluti ex gravi & acuto sono, temperare gratam regiminis sibi coelitus commissi harmoniam desiderasset.

8. Nos autem, ea pictura, quam præsens Emblema exhibet, idem ipsum apertius significamus, citharedum, vel lyricinæ ob oculos nostris Principibus proponentes, qui prius quam musici instrumenti chordam aliquam abiciunt, vel rumpat, illam blandè, ac sesam digito, & aure tendit, & temperat, & paulatim ad optatum cum aliis concentum reducere curat. Ut sic, vel hoc exemplo commoniti, idem in subditis corrigendis, & temperandis imitari conentur. Quam simi-

(b) Natal. Comes lib. 14. histor.

(i) Senec. lib. 1. de ira. cap. 5.

(k) D. August. in serm. de puer. Centurion.

(l) D. Chrysost. sup.

(m) Paul. ad Galat. 6.

(n) Proverb. 29. vers. 1.

(o) Cicer. in orat. pro Client.

(p) Lup. à Vega in comment. del Cið.

(q) Cassiod. lib. 4. epist. 29.

(r) Petra Sanct. in symbol. lib. 6. pag. 221.

liudicinem inter suas recensuit Erasmus (s), eam à Plutardo (t) mutuatus, & anteā, ipsa quoque usum Quintilianum (u) reperio, & D. Chrysostomum (x), qui ex eadem Musice disciplina, sic se habere debere eos, qāl alii præsent, ostendit. Ut nequærvan ita intendant, ut rumpant, neque remittant ultra modum, ne harmoniæ concentum ledant. Et Iann. Sarisberensem (y), qui eandem exactius ceteris prosequitur, & Trajanum Imperatorem e usum scribit. Dicebat enim, insanum esse, hac cordarum tensione magis quam ruptura, non roturare urbis harmoniam, quemadmodum si quis oculos habens lippientes, eos malit effodere quām curare. Unguesque, si actiores fuerint, resecando esse, non avellendo.

9 Fuit enim semper lyra, cuiuscumque illam fixeri formæ, sed præsertim ea, quām nos vulgò Harpam vocamus (quōd ut Covarruvias ait (z), ratim tactis per digitos chordis pulsetur) humanae vite aptissimum hieroglyphicum, juxta Pierii (o) Valerianæ doctrinam, & apius, Reipublicæ moderationis, in qua ut in lyra, unusquisque ex sorditis suum locum tenet decenter sortitus, & ex omnibus, licet diversæ proportionis, & soni, qui illam congruè temperate, ac pulsare didicerit Princeps, melodiam, & suavem quondam harmoniam, & consonantiam elicere poterit. Quod optimè noster Saavedra (b) novissimè in quodam ex suis symbolis docet, & latè prosequitur, lyram eamdem depingens, cum lemmate, *Mora minoribus consonant*, eo admonens Reges qualiter se cum diversis vassallis, & populis, quibus dominantur, gerere debeant, sicuti Nos nunc, qui aliquorsum (ut apparet) tendimus, qualiter prius eos corrigerem, & dirigere, quām abdicere, vel disrupture.

10 Sæpè enim ut Claudianus (c) ait:

Peragit tranquilla festas,  
Quod violenta nequit, mandataq; fortius urget.

Et ut Tacitus (d) inquit: *In tempistivis remedii delicti aenduntur*; unde ipso (e) etiam monente: *Parvis peccatis veniam dare Principum convenient, magis severitatem commodare, nec pena semper, sed sæpius patientiam contentum: omnia scire, non omnia exequi*. Et non solum nostri Emblematis lyricinem imitari, sed, ut cum Seneca (f) loqua, officium suum idem esse, quod bonorum parentum putare: *Qui objurgare liberos nonnumquam blandè, nonnumquam minaciter solent, aliquando admonere etiam verberibus. Numquid aliquis sans filium ad primam offensam exheredat? Nisi magne, & multæ injuriæ patientiam evicerint, nisi plus est quod timet, quām quod damnat, non accedit ad decretorium stilum. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem, & pejor loco jam positam revocet: simul deplorata est, ultima experitur. Non ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumpsit. Hoc quod parenti, etiam Principi faciendum est, quoniam appellavimus Patrem Patriæ, non adulatio vanæ adducti,*

11 Quinimò in eamdem rem, humanos Reges, ac Juges, divini imitatores esse oportere, D. Chrysostomus (g) his verbis hortatur: *Judices cum latrones experint, & sacrilegos, non quomodo ipsos reddam meliores consideram; sed quomodo ab ipsis peccatorum penas exigant. Deus autem contra, cum aliquem repert peccatorem, non considerat quomodo summat supplicium, sed quomodo ipsum erigat, & meliorum faciat, & in futurum inexpugnabilem. Itaque & Iudeus pariter & Medicus, & Magister est Deus. Etenim tamquam Iudex examinat, & tamquam Medicus corrigit, & tamquam Magister docet, prævaricatos in omnem disciplinam induens.*

12 Ad ipsum quoque nostri Emblematis documentum & temperamentum respicit celebris quādam lex (b) Regis nostri Alfonsi X. ubi postquam præmiis & pœnis contineri in officio homines docuit, utrumque attēne, & prudenter temperari debere, sic subdit: *Por eso ovo y menester temperamento, así como facer bien do conviene, è como, è quando: è otros en saber refrenar el mal, è tollerlo, è escarmentarlo en los tiempos, è en las sazoness que es menester, catando los fechos quales son, è quien los face, è de que manera, è en quales lugres.*

13 Et illud, quod tradit Origenes (i), explicans virtutias, quas de Philistheis Aod portavit in gladio, & Samgar in vomere aratri, sexcentos eorum percutiens, ut in Judicum libro (k) narratur, inquit enim ex hoc significari, posse fieri, ut Ecclesia Iudex non semper gladium proficerat in correctionem delinquientum: *Sed imitetur Agricola, velut aratro sulcans animæ nostræ terram; & sæpius Clementi monitione rescindens, ut aptet am suscipiens seminibus.*

14 Neque aliud sensit D. Gregorius (l) loquens d temperamento Prælati in subditis castigant-

(s) Erasm. in simil. fol. 2.

(t) Plut. in Moral.

(u) Quint. declam. 184.

(x) D. Chrysost.

(y) Sarisber. in Polier. lib. 4. cap. 8.

(z) D. Sebast. Corvæ. in Thes. verb. Harpa, fol. 462.

(a) Pier. lib. 47. fol. 348.

(b) Saavedr. empr. 61. ex pag. 464. & vide omnino Plut.

in tradi. de Reb. public. pag. mibi 109.

(c) Claudian. in Mal. Theod.

(d) Tacit. 3. Annal.

(e) Idem in Agric.

(f) Senec. lib. 1. de clement. cap. 14.

(g) D. Chrysost. in homil. ad popul. Antioch.

(h) L. 3. tit. 1. part. 1.

(i) Orig. hom. 4. in lib. Iud.

(k) Judic. 3. 31. & 32.

(l) D. Gregor. hom. 21. supr. Ezech.

gandis, in hæc verba: *Tanta debet esse discretio Prælati, ut nec disciplina nimia, nec ipsa quoque misericordia sit remissa: ne si inordinatè culpa dimittitur, is, qui est culpabilis, in reatu gravius adstringatur. Et rursus si culpa inmoderatè retinetur, tanto qui corrigitur deterior fiat, quantum erga se nihil benignitatis gratia agi considerat. Eshibenda itaque est pravis asperitas in ostensione, charitas in mente; ut & dura ostensio delinquentem coercat, & charitatis custodia mercedem mansuetudinis non amittat.*

15 Idem quoque Sanctus, & Leo Papa, sæpè eamdem doctrinam repetunt, & magis esse expectando, & corripiendo delinquentes, quām illico puniendo: *Plusque apud corrigendos age re debet benevolentiam, quām severitatem, plus cobortationem, quām comminationem, plus charitatem, quām potestatem, pluribus aliis locis ostendunt, quæ quā apud Gratianum (m), & alios (n) obvia sunt, peculiariter referre non est necesse. Sicuti neque illa Ecclesiastici (o), & Evangelii (p) loca, de fraterna correctione, gradibusque ejus agentia, quæ integro tractatu Bernardinus Arevalensis prosequitur. Et signanter Concilium Tridentinum (q), Episcopos monens, qualiter se in suorum subditorum correctione habere debeat, & statim subjiciens: Cū sepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quām austoritas; plus exhortatio, quām comminatio, plus caritas, quām potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est. Ut sine asperitate disciplina populi salutaris, ac necessaria conservetur, & qui correcli fuerint emendentur, aut si resipiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitis deterreantur. Cum sit diligenter, & pii simul Pastoris officium, morbis ovium levia prima adhibere fomenta, post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad graviora & acriora remedia descendere: sin autem ne ea quidem proficiant, illis submovendis ceteras saltē oves contagionis periculo liberare.*

16 Quibus etiam illud Demonaxcis addi potest, qui ut Erasmus (r) in suis Apophthegm. tradit, subinde suadebat, non facile irascendum hominibus, si delinquerent; sed potius corrigenda esse vita, Medicorum exemplo, qui non indignantur ægroris, sed morbum sanant, Apollonius quoque apud eundem (s) dicere solitus erat, quod quisquis erga levia errata, vehementius, quām par est, irasciū, delinquentem non sinit inter culpam extremam, & mediocrem quid intersit dignoscere.

17 Et Ludovicus Vives (t), post Senecam (v), & alios, de Augusto Cæsare narrat, hoc prudenter, & clementer temperamento in corripiendis, & expectandi plurimis, quos tamquam sibi infestos perdere potuit, sibi eosdem ex hostibus amicos fecisse, ut Domitios, Mesallas, Asinios, Cicerones, Coccejos, Sallustios, Duelliós, & postremò Luciu Cinnam, qui ipsum Cæsarem sacrificantem adoriri statuerat, & ad aras ceu victimam quamdam immolare. Huic enim, ad se vocato, quæ comperisset ostendit; Tacenti, & manifesto suum scelus facienti, ei vitam fortunas dignitatem, & alia in civitate præclara dixit se donare, ut ex eo die inciperet, inter eos amicitia; quod ita adeptus fuit, ut eundem dum vixit, fidelissimum amicissimumque expertus, & à moriente ex asse hæres scriptus fuerit, Latinus etiam Pacatus (x) in Theodosio Magno clementiam commendat, qua Maximum Tyrannum, affectati Imperii reum, tantique delicti, & mendacii, quo illud patraverat, proprio ore, præsente, & interrogante eodem Imperatore, confessum, adhuc dimittere voluit, nisi populus illum ad supplicium rapuisse. Et Nazarius idem valde commendat in Constantino Augusto, his verbis: *Quod erat consentaneum clementie tue, experiebaris remedia moliora, ut quod leniri, quām resecare mallies, mitior medicina sanaret.*

18 Parem quoque clementiam, & prudentiam Maximilianus I. in corrigendo, & contegendo cujusdam sui Aulici futuro observavit, cuius facti lepidum narrationem latè Camerarius (y), & Pontanus (z) recensent. Possemque Progenitorum, & successorum ejusdem Imperatoris, Austriacæque familia, plura alia exempla referre, nisi jam ea Gerardus (a) de Roo, & Nicolaus Vernuleus (b) præoccupasset, maluisse Magnos hos Principes inquietus, beneficiis indulgentia que, quām superioribus delicti, subditorum suorum ingenia experi. Et hinc potentes esse, quia leviora, quām acriora consilia malunt, & apud eos culpam confiteri, est veniam impetrare.

19 Quod Rex noster Potentissimus, & Benignissimus D. Philippus IV. quem Deus incolument servet, novo quadam & heroico exemplo novissimè etiam manifestavit, cuius vel sola insinuatio pro relatione sufficiet, & insigne documentum posteris erit, ut mitius delicta eorum accipient, qui alius

(m) Gratian. in cap. licet 1. & 2. cap. disciplina, cap. vera justitia, cum aliis, 45. diss.

(n) Latè Luc. de Penn. in l. 1. C. de deser. lib. 12. & Valenz. cons. 164. ex numis, 72.

(o) Eccles. 19.

(p) Matth. 18.

(q) Taddeo. sess. 13. de reform.

(r) Erasm. lib. 8. Apph.

(s) Idem ibidem.

(t) Lud. Vives de concord. & discord. lib. 3.

(u) Senec. latè hanc Cinna historiam referens, lib. 1. de clem. cap. 9.

(x) Lat. Pacat. in Panegyr. ad Theod.

(y) Camer. 1. tom. rubris, cap. 65.

(z) Pontan. in bellari. Attic. 2. part. cap. 29. pag. 53.

(a) Gerard. de Roo lib. 5. in Austr. pag. 187.

(b) Vern. de virt. gent. Austr. cap. 4.

alias moribus, & vitae integritate summa claruerunt, aut majorum suorum egregiis meritis illustrati, spem melioris frugis in posterum præbent, quamvis in aliquo fortè fortuna peccaverint, & à recto virtutis, propriè sanguinis tramite, deviasse comperti sint. Memores doctrina Simondis, apud Stobaeum, qui neminem prorsus esse dixit, qui aliquando in aliquod malum, vel crimen non prolabatur. Et contra naturam penè esse, ut quis sine peccato aliquo vitam transigat, vel, ut est in Adagio (c), *Sine crimine vivat, aut omnibus horis sapiat.* Prout & nostra etiam Canonica (d) & Civilia (e) jura demonstrant, hic non solùm permittentia, verum & suadentia, primis peccatis facilius veniam indulgeri debere, & ex ante acte vitae indole, sequentis emendationem conjectari sperarique posse.

20 Qua de re plura, ad nauseam usque Tiraq. (f) congesit. Inter alia exempla, illud Ciceronis (g) adducens, qui se Consulē C. Pisone defendisse gloriatur, quia Consul fortis, constansque fuerat, & relatis aliis, ob id ipsum quoque absolutis, subjungit: *Semper graves, & sapientes Juges in rebus judicandis, quid utilitas civitatis, quid communis salus, quid Reipublice tempora poscerent, cogitaverunt.*

21 Docente enim Quintiliano (h): *Qualecumque crimen donari meritum, donari virtuti potest.* Et inde, ut ipse idem alibi (i) tradit communiter apud Oratores locus ille receptus fuit, quem Deprecationem vocant, quo In Senatu, & apud populum, apud Principem, & ubicumque Juris clementia est, uti solent. In qua plurimum valent ex ipso, qui reus est, bæc tria in vita præcedente, si innocens, si benè meritus, si spes in futurum innocentem vivit; & in aliquo usui futuri.

22 Et ante Quintilianum Tullius (k), sive Cornificius, aut quisquis ille fui, qui Rhetororum ad Herennium libros vulgavit: *Deprecatio est (ait) cum peccasse, & consultū reus fecisse confitetur: & tamen postulat, ut sui misereatur. Hoc in judicio non potest ferè usu venire, nisi quando pro eo dicimus, cuius multa recta esse constat.* Et iterum: *Deprecatione (inquit) utemur, cum fatebimur nos peccasse: neque id imprudenter, aut fortuito, aut necessario fecisse dicemus: & tamen ignosci nobis postulamus. Hic ignoscendi ratio queritur ex his locis. Si plura, aut majora officia, quā maleficia videbuntur constare: si qua virtus, aut Nobilitas erit, in eo qui supplicavit: si qua spes erit usui futura, si sine supplice, discesserit: si ille supplex, mansuetus, & misericors in potestatibus ostendatur fuisse.*

23 Harumque rerum omnium ponderationem Persæ, adeo necessariam in Principibus judicabant, ut etiam reo non petente, nec deprecante, peculiari lege apud eos caveretur, ut cum quis in judicio argueretur, delictum aliquod perpetrasse, non tam statim condemnaretur, sed prius ex judicantis officio, inquiriretur diligentissimè in omnem illius vitam, inireturque ratio, plura ne turpiter, & flagitosè, an benè laudabiliterque gessisset. Tum, si vincebat turpum numerus, condemnabatur, sin præponderabant honestis turpia, absolvetebatur. Cogitabant enim non esse, ut paulo ante retulimus, humanarum virium, rectum cursum perpetuò tenere; habendosque pro bonis viris eos, non qui numquam peccarent, sed qui sèpius honestè agerent. Quam legem refert, & eximiè laudat M. Antonius Muretus (l), dignissimam censens, ut ab omnibus cognoscatur, & exequatur. Et Petrus Herodius (m), exempla Arbazis erga Blesim, & Darii circa Sandocem, ob hanc computationem, & veluti Lyra nostri Emblematis temperationem, adducens. Ad quam referendum quoque est illud Cassiodori (n), ita sub persona sui Regis Theodorici, reliquos admonentis: *Quapropter casibus asperis, præstandum est sub justitiæ laude moderamen: ut nec vindictam sinamus superare peccata, nec culpam insultare patiamur legibus impunitam.* Et doctrina nostri Salmanticensis Episcopi Valenzuela (o), quod pœnali legi non derogatur, ignoscendo ei, qui multum alias meruisse, & servisse competitur.



## EM-

(c) Erasm. in Adag. pag. 263.

(d) C. unum oratorium, §. nomine, 25. dist. ubi gloss.

(e) L. Non omnes, in princ. ubi DD. de re milit.

(f) Tiraq. de pen. temper. caus. 49. § 51.

(g) Cicet. in orat. pro Flacco.

(h) Quintil. declam. 310.

(i) Idem lib. 7. inst. orat. cap. de qualit.

(k) Tull. 1. Rhetor. ad Heren.

(l) Muret. lib. 4. var. cap. ult.

(m) Petr. Herod. lib. 9. rer. jud. tit. 5. cap. 2.

(n) Cassiod.

(o) Valenz. cons. 164. num. 62.

## ITERATA CULPA, GRAVIUS PUNIENDA.



*Lacerat Apis prædira stimulans cuspide  
Fucum, qui cellis mella segnis arripit:  
Nec sinit acris geminare culpam, duraque  
Spicula retorquet. Clarus ensis ferrea  
Solicet arma; iterata telis crimina  
Reges fatigent. Sorde accincta Pietas.*

## COMMENTARIUS.

A sanè est humanæ naturæ conditio, ut quemadmodum in virtutibus nemo repente fit summus, neque ad eas nisi de gradu in gradum, ac veluti per scalas ascendit, ut Regius admones Psaltes (a), inquiens: *Ibunt de virtute in virtutem, videtur Deus Deorum in Sion.* Et Laurent. Justinianus (b), demonstrans, nullum, nisi ex ordinato progressu, ad perfectionem cujuscunq[ue] artis attingere valere, necnon & illa Proverbialis (c) sententia, que docuit, *Nemo primo quoque die sit doctus*, quam Joannes Girardus hoc disticho expressit:

*An non & vulgo (quod verum est) audio dici,  
Primo quoque die nemo Magister erit?*

2 Ita quoque in vitiis, per eosdem gradus in deteriora prolabimur, neque eò quo ceperunt consistere solent, sed ubi semel aberrare coepimus, in præcepis imus, abyssusque abyssum invocat, ut ab eodem etiam Regio Vate (d) docemur, cuius doctrina pariter in Adagium pertransiit, *ut ex Erasmi (e) collectaneis appetat.* Et licet vulgo usurpari soleat, ad denotandum calamitatem, aliam

(a) Psalm. 80. 8.

(b) Laur. Justin. lib. de obed. cap. 27.

(c) Erasm. in hoc Adag. pag. 203.

(d) Psalm. 41. vers. 8.

(e) Erasm. in Adag. pag. 481.